



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Diffic. 2. Mens de eodem Recentiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

Punctum Difficultatis 2.

Mens de eodem Recentiorum.

EXPLICAT 4. Doctor Theologus, P. Laurentius Pikarski. Dignitas qualibet absolute loquendo, nihil aliud est, quam per se stantia quædam, seu ipsummet esse alicujus, non propter aliud. Patet hoc in prælaturis, præfidentibus, & similibus, quas plerumque dignitates vocamus; & simul quodvis dominium, dignitatem quandam existimamus, & dominos ipsos dignos; servitutem autem indignitatem quandam, & servos indignos reputamus; idque ideo, quia servus est propter Dominum, adeoque per se stantiam non habens, & non dominus propter servum: qui ratione domini & dignitatis per se stantiam habet. Patet idem in scientiis, quæ sunt propter seipsas, ideoque illas propter se dignas dicimus, indignas autem, quæ propter aliud quidpiam inventæ sunt, ut sunt vel practicæ scientiæ, vel artes mechanicæ. Hinc & ipsa axiomata seu propositiones, quæ tanquam prima principia in scientiis habentur, & sine quibus scientiæ stare non possunt, dignitates appellamus; idque ideo, quia per se, non per aliquid aliud, cognoscuntur, & sciuntur. Ex hac proportionem, S. Thomas hic q. 2. a. 2. ad 2dum in tantum personalitatem vult esse rationem dignitatis, in quantum personalitas, est quædam per se stantia; *dicendum*, inquit, *quod personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem ejus pertinet, quod per se existat, quod nomine personæ intelligitur.* Imò hoc ita verum est, ut si aliquando, ea ipsa quæ non per se sunt, digna vocantur, hoc ideo fiat, quia ea ad aliquid quod per se stat; attribuuntur: propter quam attributionem, intelligitur, ex perfectantia, refundi quædam dignitas in illa, ita ut per dignitatem perfectantis, digna sint & intelligantur: ut patet in dignitatibus regiorum famulorum, similiter uxorum, filiorum &c. famuli enim dignitate Regis, uxores dignitate maritorum, filii dignitate Parentum, digni reputantur: unde & accidentia, non solum dignitatem, sed etiam ultimum complementum suæ individuationis, habent ab ipso supposito, cum ipsum substantiarum esse, per se & propter se sit, accidentia verò non nisi propter aliud & in alio, &c. &c. Cum igitur operationes Christi sint essentialiter alterius, tunc in ultimo termino individuationis, ac dignitatis completissimæ existent, consequenter dignissimæ erunt, quædo in completissimo per se existente, & consequenter, in dignissimo existent; & quia defecto, in tali existente per se, existunt; ideo ab illius infinita dignitate, & ipsæ dignitatem infinitam imbibunt; proindeque neque ultimò hæ operationes Christi dici vel esse possunt, nisi ipsius suppositi

dignitatem in se includant, per quam ultimò sunt, & ad quam ultimò attribuuntur.

Succus discursus in hoc consistit. Valorem habent infinitum merita Christi, quia dignificantur à persona infinitè digna; modus autem, quo communicatur illa dignitas, in hoc est: quia accidentia sumunt ultimum suum complementum à persona, cujus sunt: cum ergo operationes Christi sint accidentia, & id in quo sunt, & à quo ultimum suæ individuationis accipiunt, sit quid infinitè dignum, etiam illæ erunt infinitè dignæ. *Hic discursus*

NON SATISFACIT 1. Quia ultimatam responsionem non affert; quæro cur merita Christi sint infiniti valoris? Respondetur, quia dignificantur à persona infinita; quæro, quomodo dignificantur? Respondetur, quia accipiunt ultimum sui complementum ab illa; quæro ulterius, cum non competat accidentibus subsistere subsistentiæ, quomodo accipiunt ultimum sui complementum ab illa? Respondetur, quia ad illam attribuuntur; de quo ipso quæro, qui fiat, ut ex attributione ad personam infinitam participant infinitam dignitatem?

NON SATISFACIT 2. Quia negatur accidentia compleri ultimò à substantiis, aut subsistere ullo modo subsistentiis substantiarum; quod si accidentia non subsistunt subsistentiæ substantiæ, non accipiunt ultimum sui complementum à Subsistentia, neque enim est aliud subsistere, quam accipere ultimum sui complementum à subsistentia: si autem accidentia non accipiunt ultimum complementum à subsistentia, neque actiones Christi accipient, adeoque nec erunt infinitæ, cum illa infinitudo peti deberet ex illo complemento.

NON SATISFACIT 3. Quia quæstionem physicam de subsistentia, videtur explicare, per dignitatem moralem; & licet per accommodationem dici bene possit persona, dignitas: nihilominus aliud est persona, aliud dignitas; quis enim dicit in divinis, esse tres dignitates? unde etiam S. Th. i. parte q. 42. a. 4. ad 2dum. *Dignitas*, inquit, *absoluta est, & ad essentiam pertinet* denique dignitas est de linea excellentiæ, & superantiarum, potestque competere etiam naturæ, quæ tali; jam autem personalitas, est de linea termini: Ergo personalitas, per dignitatem, non rectè explicatur, nisi figuratè.

EXPLICAT 5. Perez; ex quo ante explanationem.

PONITUR 1. Quod dignitas absoluta, & in bonam partem sumpta, sit virtus, propriâ suâ magnitudine, & præstantia afferens fiduciam, aut expectationem prudentem boni honorifici: nomine autem virtutis intelligit potentiam, scientiam, & voluntatem, benefaciendi, vel communicandi bonum: debet autem hæc esse intrinseca personæ: hinc non divitiis præcisè aliquis redditur dignus, sed jure, merito, ulu,

qui habetur, vel qui speratur, divitiarum: pos-
sunt quoque: quod relatio sit quid modale, relatio divitis
ad divitias, Principis ad suos majores, est quid
intrinsecum; cognitio item possessionis divitia-
rum, & generis, est excellentia quædā intrinseca,
& felicitas, quā nec pauperes, nec subditi habent.

PONITUR 2. Dignitatem esse duplicem, ali-
am, quæ consistit in virtute, aliam quæ consistit
in iure ad honores, sequentes virtutem, aut præ-
venientes propter spem; & licet dentur hono-
res, qui sunt nati sequi virtutem, ne quis canat
triumphum ante victoriam; dantur tamen etiā
honores, nati antecedere; sic merita Christi
præmiata sunt à Deo, per gratiam datam anti-
quis Patribus; & quando adest spes victoriæ,
triumphi præparatio fit ante victoriam, ita ta-
men ut possit accidere, quod virtus, &c. afferat
certissimam spem honoris, & gloriæ, & tamen
non sit cognita, quia non fundatur in magnitu-
dine, & præstantia perfectionis. Hæc ipsa spes
debet esse non vana, sed secunda, vel physice, vel
moraliter, &c.

PONITUR 3. Quæ sit differentia iuris com-
mutativi, à iure digni? quia illud compellit ad bo-
num tribuendum debitum, non solum bonos,
sed & malos, timentes iram habentis jus, vel le-
gis, defendentis jus illud: at jus digni ut tale,
non cogit, sed summum movet, & attrahit, per
iudicium suadens melius esse & decentius, ho-
norare dignum, quàm non honorare.

PONITUR 4. Quid sit ly *Prudens fiducia*, posi-
ta in definitione dignitatis? & dicit esse rectam
rationem designativam honorum proportiona-
lium virtuti, præcipientem aut suadentem, tan-
quam meliorem, modo explicato, honorifica-
tionem, quam non honorificationem virtutis;
quæ ratio suprema est divina, secunda superna-
turalis, tertia Angelica, quarta humana, &c. su-
mitque hæc ratio, pro regula, duos fines, finem
Cui, id est, personam virtute præditam, & finem
Quod, id est, bonum honorificum, quod continet
manifestationem virtutis.

PONITUR 5. Quid sit bonum honorificum,
seu laudatorium? Honor est virtutis benefa-
ctoris indicium; laus propriè & strictè dicta,
est honor existens in verbis, sumendo illa pro in-
ternis, & externis; & laudabile dicimus esse id,
quod est honestum, seu per se expetendum, &
utilitatis allativum, aut alicujus communicatio-
nis bonorum. E contra indignitas personæ, est
defectus virtutis, allativus mali ignominiosi;
additque, dignitatem esse quid notum, & habe-
re vim notificandi, suā quantitatem, quantitatem
boni conferendi, hoc enim est de ratione men-
suræ, & è converso, quando quantitas boni ho-
norifici conferendi alicui est nota, consequen-
ter notificare potest quantitatem virtutis, & di-
gnitatis personæ. *His suppositis*

EXPLICATIO in hoc sistet. Humanitas Chri-
sti, ut unita VERBO, est digna eo honore, quo

Persona VERBI est digna honorari in ipsa hu-
manitate; Sed Persona VERBI est infinite di-
gna honorari omni bono, quod potest conferri
humanitati post unionem: Ergo & humanitas,
ut unita VERBO, est illo digna: & quia multi-
tudo talium bonorum, est infinita, hoc ipso est
& illa infinite digna, utpote illis infinitis digna;
impossibile enim est personam unitam humani-
tati, esse dignam bono exhibito, quin humanita-
ti illud bonum debeat, ex hoc titulo; quia est
unita personæ divinæ, dignæ illo bono; quando
enim aliquid debetur naturæ intellectuali, quod
habet sibi unitam aliquam dignitatem, non pot-
est ipsa non esse, digna illo bono &c. Addit, du-
bitari non posse, Christum ut hominem, supra
omnes actuales & possibiles creaturas puras,
majoribus honoribus esse dignum, quibus per-
sona divina honoretur in humanitate honorata;
quorum honorum titulus est filiatio divina na-
turalis; & nulla est ratio, quare dicatur esse di-
gna uno bono, & non alio; titulus enim ille non
præfigit limitem magnitudini, & multitudi-
ni honorum possibilem; denique si quid velit effi-
caciter humanitas Christi, illa voluntas est con-
formis voluntati increatæ personæ VERBI: Er-
go si bonum volitum conferatur humanitati
Christi, conferetur tanquam debitum personæ
ipsius humanitatis, quia supponimus fuisse voli-
tum ab ipso Filio Dei. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT 1. Tum quia, de hoc ipso
queritur, quomodo & quâ ratione VERBUM
unitum humanitati, faciat illam dignam hono-
rari, honore VERBI? & quantumvis hoc con-
ferat humanitati, qui conferre poterit infinitu-
dinem ipsis meritis, & satisfactionibus Christi?
& quâ viâ hæc honorabilitas deriveretur in huma-
nitatem Actionis? Concedo personam unitam
humanitati esse dignam omni bono, sed querere
restat, qui hanc dignitatem derivet in huma-
nitatem, multoq; magis, qui derivet infinitudinē
in merita Christi? Concedo Christum Domi-
num esse dignum speciali ratione, sed querere
restat, qui evadatur ad hoc, ut ipsa persona divi-
na honoretur in humanitate honorata, multoq;
magis qui infinitet actiones? Nulla dicitur esse
ratio, quare dicatur esse digna uno bono, & non
alio, sed querere restat, quo modo & viâ, hoc
ipsum acquiratur? Concedo si efficaciter velit
voluntas Christi aliquod bonum, dabitur illi; sed
querere restat, qui derivetur hæc dignitas in il-
lam, ut possit efficaciter velle quodcunq; bonum.
Ultimatò queritur, qui ita etiam dignificatæ
humanitatis, ipsæ actiones & merita, sint infini-
ta, nam dignificatio humanitatis bene refertur
in ipsam et unionem ad VERBUM, sed quamnam
similem unionem dicunt merita cum VERBO?

NON SATISFACIT 2. Quia tota infinitudo
hic explicata, habetur ex unione ad VERBUM,
ergo cum meritis non uniatur VERBUM, non
erunt infinita.

NON SATISFACIT 3. Quia principia, quæ assumit in Positis, non convincunt. Tum quia dignitas est quid posterius, & consequens virtutem, effectusque illius moralis, ergo per virtutem definiri, rigorosa, quæ hic intendebatur, definitione, non potest; unde etiam nemo definit hominem per risibile. Cujus ratio est, nam non esset identitas Objectiva, inter definitionem & definitum, sicut non est identitas Objectiva, inter prius, & posterius: Tum quia, etiam hoc prædicato quod est fiducia, & expectatio boni honorifici, datur aliquid prius definitivum dignitatis, nempe jus, exigentia, titulus ad bonum honorificum; & certe, non ideo aliquis habet jus exigendi boni honorifici, quia habet illius fiduciam, sed habet fiduciam, quia habet jus. Tum quia, immerito dicitur, quod ipsa cogitatio possessionis, divitiarum &c. ponat virtutem intrinsecam; quia per hoc non rectè explicatur intrinsecitas dignitatis, quod potest haberi etiam in indigno, talis autem cogitatio, potest haberi, etiam in indigno; debet ergo dari discretivum horum cogitantium, & hoc potius erit salvativum dignitatis. Tum quia immerito dicitur, fiduciam prudentem, esse rectam rationem designativam honorum proportionalium; nam fiducia, spectat ad lineam voluntatis, ratio designativa honorum, spectat ad lineam intellectus; deinde hujus ipsius designationis motivum, & fundamentum dari debet, & hoc potius erit quaesita dignitas. Tum quia non rectè formatur conceptus honoris, quod sit virtutis benefactoris indicium, honor enim, tenet se à parte honorantis, & tamen indicium benefactoris virtutis, potest esse, etiam à parte honorati; deinde indicium istud, est de linea signi, honor autem, est de linea cultus, & observantiae: Non ergo, unum per aliud rectè definitur.

Commodius dicitur, quod dignitas, sit excellentia exigitiva, vel fundativa juris ad honorem, honor autem erit cultus respondens excellentiae, sed hac etiam dignitate posita, quaerere restat, qui meritorum Christi sit dignitas infinita?

Punctum Difficultatis 3.

Satisfit intento.

EXPLICATUR 1. Duplex cogitari posset unio inter naturam humanam, & Personam VERBI, una accidentalis, non quidem, quæ sit, per solum affectum, vel per moralitatem similem ei, quæ personæ legati, unitur persona regia, ita ut quod facit legatus, censeatur facere rex, cujus personam refert, sed quæ sit unio accidentalis, ratione alligationis, quæ alligetur physice huic homini Persona divina, ita tamen, ut non suppleat defectum ullum personæ, nec compleat substantialiter. Altera unio cogitari potest substantialis, vi cujus, complebilis, perfectibilis, terminabilis substantialiter, humani-

tas compleatur, perficiatur, terminetur substantialiter, adeoque fundando communicationem idiomatum inter illa extrema; cum ergo hæc posterior unio reperitur in Christo, docente fide, quod persona divina suppleat defectum substantiæ creatæ, adeoque alicujus substantialis, sit ut hæc unio, fundet communicationem idiomatum.

Porro communicatio idiomatum in linea agendi, in hoc sita est, ut quod facit unum extremum, per communicationem idiomatum, censeatur facere & aliud extremum, cumque esse, sit propter operari, si erit communicatio idiomatum in esse, erit etiam communicatio idiomatum in operari. Et quia ista communicatio fundata est in modo unionis, & per se, & substantialis, quæ non est aliquid meræ imputationis, & placiti, sit ut communicatio illa fundata in illa unione, per quam censeatur operatio unius esse operatio illius, non sit mera imputatio, merum placitum, sed verè in aliquo physico & independente à nostris conceptibus fundatum; cumque communicatio semper sit duorum, non solum natura communicabit idioma aliquod VERBO, sed etiam VERBUM communicabit suum idioma naturæ.

Rursus, quia communicatio est in proprio, proprium suum natura communicabit, h. e. se, propter operari, i. e. se, & suas operationes; proprium autem suum communicat persona, communicando se & excellentiam suam, quæ excellentia, quia est infinita, communicabit illi naturæ, & illi actioni infinitudinem suam.

ILLUSTRATUR hoc instantiis. Finge regalitatem esse dignitatem quandam physicam, & perfectionem quandam physicam, tunc quicquid faceret MICHAEL Rex, physice esset regale, & opera illius haberent perfectionem physicam ipsius regalitatis, nec posset quicquam facere MICHAEL, quod regalitatem non haberet; cum ergo propter unionem veram, quæ est inter naturam humanam, & personam VERBI, facta sit communicatio idiomatum, & hæc dignitas, seu regalitas Deitatis, est quid physicum, impossibile est, ut quod facit natura humana propter communicationem idiomatum in operari, non censeatur facere Deus; quæ regalitas Deitatis, quia est quid physicum, nempe Persona VERBI, sit ut opera illa, physice habeant dignitatem, ab illa persona divina.

Illustratur hoc rursus instantiâ peritâ ex actibus divinis internis, qui propter identitatem cum principio habent physicam dignitatē Deitatis, & excellentiam increatam, & quod habetur excellentiæ in Deitate, tribuitur propter identitatem, etiam illis actibus. Quod est identitas in illis divinis actibus, fundans communicationem illam aut potius identitatē idiomatum, h. e. unio substantialis inter naturam humanam, & personam VERBI, vi cujus unionis, actiones na-

turæ